

DISSERTATIO CHEMICA  
DE  
NOMENCLATURA  
SALIUM

CUJUS  
PARTEM SECUNDAM

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS.

PRÆSIDE

*JOHANNE GADOLIN,*

CHEM. PROF. REG. ET ORD. REGG. ACADD. ET  
SOCIETT. SCIENT. HOLMENSIS; DUBLINENSIS, UP-  
SALIENSIS ET GOTTINGENSIS, SOCIET. ANTEHAC  
MED. CHIR. ET PHARM. BRUXELLENSIS, ACAD.  
IMPER. NAT. CURIOS. ET REG. SOCIET.  
OECONOM. FENN. SODALI,

PRO GRADU PHILOSOPHICO  
PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

*JOHANNES ERIC. WESSÉN,*  
OSTRÓGOTHUS.

IN AUD. MINERALOG. DIE 20 JUNII 1807  
H. P. M. S.

IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
JUDICI PROVINCIALI,  
NOBILISSIMO DOMINO  
JOHANN. CHRISTOPH.  
VON MORLAN,

*Sacrum*

*voluit, debuit*

JOH. ER. WESSÉN.

## §. V.

Haud paucis Chemicorum consummatum jam per Gallicorum industriam visum fuit nomenclaturæ opus. Aliis, post varias motas atque remotas dubitationes, re omni ex parte pensitata, magis magisque accepta evasit nova methodus, quæ tandem omne fere tulisse punctum videbatur. Mox vero, ut sit, occupabantur iterum scientiæ Cultorum animi, ut, pro ingenio quisque suo, ultimam limam operi adderent. Fueruntque inprimis Celebres extra Galliam Chemici de eo solliciti, ut ad vernaculas suas linguas melius accommodarentur scientiæ vocabula. Præeuntibus Germanis, qui in suam linguam non commode transferenda esse judicaverunt substantiva nomina generibus salium a Gallicis data \*), plerique eorum pro-

B pius

---

\*) Omni sine dubio scientiis suis magis profuerent cultores, si terminis technicis, communi lingua latina scriptis, uterentur, quam ubi omnes in suas vernaculas vertere conentur. Sed cum aliud jubeat mos, hanc rem missam facimus. Concedimus substantiva salium nomina in *as* & *is* non commode simpliciore verbo Germanico exprimi. Potuissent tamen per compositionem vocabuli, Germa-

pius ad pristinam denominandi methodum reverti amaverunt. Plurimis quidem adhuc arrisit dispositio generum salinorum secundum acida sua, satius tamen fere omnes duxerunt basium vocabula substantive, acidorum vero adjective adhibere. Et quamvis inter se variaverint de flexionibus atque clausulis verborum, in eo tamen longe plurimos consensisse invenimus, ut, ad modum a BERGMANNO olim stabilitum, non mutatis basium vocabulis, salium nomina exprimerent \*); iisque pro

---

nis ceteroquin usitatisimam, facile eadem ad suum idioma applicare. Quemadmodum enim vocibus *Kalk-erde*, *Kiesel-erde* &c. significant terras simplices calcem & silicam, vocibus *Schwefelstoff*, *Kohlenstoff*, simplicia corpora inflammabilia sulphur & carbonium, & sic porro, sic etiam vocabulis *Schwefelsalz*, *Phosphorsalz*, *Koblenzsatz* egregie tradi potuisset sensus verborum sulphatis, phosphatis, carbonatis.

\*) Origine hujus denominandi methodi debere videtur antiquitati, ubi non raro in usu fuit similitudinem corporum ex principio quodam illis communi, invisio plerumque & imaginatione ficto, derivare. Hoc principium nomine alicujus corporis cogniti, in quo

pro quovis sale adjungerent epitheton ex cognomine acidi mutuatum.

In denominandis basibus, nonnihil ab etymologia Gallicis accepta discedendum esse putaverunt Germani. His maxime quidem displicuerunt vocabula *potasſæ* & *fodæ*, quibus illi duo alcalia fixa intellexerant. Existimaverunt nempe ab iisdem mentem facile ad erroneas notiones amplectendas induci posse, cum diversa sit vulgaris earum apud Europæas gentes significatio. Proinde ipsis prætulērunt vocabula antiqua *kali* & *natrum*. Atque,

B 2

quo

potissimum latere putabatur, appellaverunt: alia quoque cognata similiter denotaverunt. Sic *sulphur* dixerunt ipsum inflammabile principium. Et sulphura deinde appellata sunt omnia corpora inflammabilia. Vicissim nomen simplicioris ac cogniti corporis, ad multa alia corpora, in quibus illud latere cernebatur, transtulerunt. Sic *metallorum* nomine antiquitus venerunt non solum pura metalla, sed minere quoque metallicæ, omniaque corpora quorum præcipua pars metallum fuit. *Terræ* dudum apud mineralogos appellata sunt corpora, quæ terreas partes continent; & sic porro.



quo genere neutro inter se convenirent tria alcalia, salesque ex singulis nati; tertium quoque, sive volatile alcali potius *ammonium* quam ammoniacam nuncupaverunt. Parem ob causam terris, quibus alias voces foemininae assignari solent, neutrius generis nomina nonnulli dederunt. Sic salibus terrestribus quoque neutrius generis nomina concessa sunt, ut etiam metallicis salibus, qui grammaticale genus nomenque metalli sibi proprii servaverunt.

Oryctologis omnium gentium quamplurimis nulla alia salium divisio naturae consona visa est, quam quæ illos secundum suas bases disponat. Iisdem itaque maxime placuit denominationis methodus prior BERGMANNI. Sic, alios ut taceamus, Illustris inter Gallos HATIX *potasam, sodam, calcem, barytam &c. sulphateas, nitrateas, carbonateas, borateas* e. s. p. nuncupat sales ex alcalibus vel terris atque acidis sulphurico &c. formatos; metallicos sales pari ratione a metallo denominans.

#### §. VI.

Considerando quæ, in Gallicorum nomenclatura corrigenda, alii nuper posuerunt

runt studia, primum animis obversatur anomalia methodi illorum, qui sua distributione salium aliud systema respicere videntur, aliud denominationibus; ubi pro epitheto nominis specifici, sub forma adjectiva, adhibent vocabulum ab acido derivatum, quo genus salis intellectum volunt. Hac vero in re exagitanda non morabimur, cum existimemus neminem non nobis assentiri, quod, in denominandis rebus quibuscunque systematice dispositis, oporteat substantivo nomine, nisi tale subintelligatur, denotari genus, atque huic, cognominis loco, adjungi vocabulum speciei. Sufficiat ergo nobis duplicem perpendere diversitatem hodiernarum nomenclaturarum. 1:0 Quod nomina generica ab acidis alii, alii a basibus derivanda esse judicaverint. 2:0 Quod ad significanda genera salium alii nova formaverint vocabula a nominibus acidorum æque ac basium diversa; aliis vero hæc superflua visa sit novorum vocabulorum creatio, quia ipsa basium nomina cum salibus quoque apte communicari viderentur,

Negari non potest, quin facile appareat similitudo multorum salium simili ac-

ci-

cido dotatorum. Sales acidum sulphuricum continentés cum pulvere carbonum usti pandunt odorem sulphuris ardentis: omnes quoque, quantum hucusque experiri licuit, in alcohole vini prorsus insolubiles sunt. Sales acidum nitricum foventes cum corporibus inflammabilibus ad rubedinem calefacti, detonationis producunt phænomenon. In plurimis aliis salibus proditur natura acidi latentis per varias mutationes, ope corporum f. d. reagentium, excitatas. Ipsa denique acida, alia atque alia ratione, vinculis liberari possunt & ex effectibus sibi propriis cognosci. Accedit, quod per solam acidi metamorphosin aliam prorsus naturam sæpius acquirat sal. Proinde magnopere sese apud multos ea commendavit sententia, quod præcipuas virtutes suis acidis debeant sales, quodque secundum acidorum ordines convenientissime distribuantur, & nomina generica ad hanc dispositionem conformia fortiri debeant.

Sed in confesso quoque est, non prorsus inefficaces esse bases salium, multasque horum affectiones a basis potius, quam ab acidi natura dependere: ut formam  
cry-



crystallinam, saporem dulcem, amarum, austerum, ceterosque effectus salibus ex eadem basi progenitis communes. Immo sales, qui metallicas habent bases, adeo colore, sapore & toto habitu bases suas referre videntur, ut contra naturæ indicia aperte agat, qui illos potius secundum sua acida ordinaret. Itaque cum neque alibi deficient characteres generici a natura basium derivandi, commodo scientiæ optime consulunt, qui non duplici sed una ubique methodo similitudines salium vestigare ac describere conantur. Propterea, non dubitamus, quin ad modum Oryctologis dudum adoptatum pro congeneribus habendos, & communi nomine generico appellandos esse censeamus sales, qui similitudinem a basibus habent.

Quod ad alteram discrepantiam hodiernorum Chemicorum in salibus nominandis attinet, fateamur oportet, quod nostro saltem iudicio omni ex parte præferenda & sectanda sit methodus illorum, qui nova formaverint vocabula salium, a nominibus & acidorum & basium diversa. Certe enim aberrarunt a justa regula in corporibus philosophice denominandis ob-

fer-

fervanda, atque a communi loquendi usu, qui pro vocabulo salis posuerunt nomen unius ejusdem, quantumvis præcipuæ, partis. In confesso cuique erit, quod genericum nomen, sine epitheto enunciatum, secum ferre debeat ideam totius generis, quod nequaquam obtinet in iis, quas jam impugnamus, nomenclaturis; ubi ex gr. sal ex acido sulphurico & potassa s. kali compositum appellatus est *kali sulphuratum* vel *potassa sulphurea*: ablato namque epitheto speciei, remanet vocabulum *kali* vel *potassa*, quod nullam generis salini notionem comprehendit \*).

Sed

---

\*) Hæc meditantibus succurrit nobis quæstio, a nonnullis hodiernorum quoque Philosophorum mota, utrum corpora inter se intime conjuncta, sive, ut Stahliano utamur loquendi modo, *mixta*, vere dicantur esse partes ipsius mixti? Non equidem disquirere lubet de mutata, per ipsum mutuam corporum nexum, natura ac forma eorundem; sed earum tantum meminisse mutationum, quæ simul, aliunde quasi, in corpora incidant, efficiantque, ut in mixto prorsus aliæ lateant substantiæ, quam quæ miscebantur. Non sine probabilitate urrisse videtur Celeberrimus Pestiensis Doctor WINTERL, corpora illa, quæ vulgo pro partibus salium

Sed quamvis pro re parvi momenti habeant ultimum nomenclaturæ rigorem & verborum fabricationis curam Viri, qui ætatem viresque consumunt in novis indagandis veritatibus, & vero scientiæ incremento promovendo; speramus tamen neque Eos dedignaturos esse animadversiones nostras, eo tantum consilio ingenue oblatas, ut perspicuitas scientiæ concilietur, & omnis, quantum ejus fieri possit, evitetur in describendis phænomenis ambiguitas.

§. VII.

---

habentur, acidum nempe & basin salinam, nunquam tota quanta in salibus latere, cum ab utroque, sub ipsa conjunctione aliqua avolaverit constitutiva pars. Conclufit nempe ex plurimis phænomenis inter se comparatis, eam esse conditionem omnium acidorum ac basium, ut præter ponderabiles materias, in sinu foveant substantias subtilissimas non ponderabiles, *principium aciditatis* & *principium basicitatis*, quarum utrinque aliqua fit jactura, ubi sales constituuntur, quasque necessario recuperabunt salis partes, antequam vinculis liberatæ in pristinam restitui possint formam. Caloricum, sub formatione salium, nunquam non comparens, ex simul facta conjunctione principiorum subtilissimorum produci contendit. Materia profecto digna, quæ ulterius rimetur.

## §. VII.

His monitis, consideremus jam regulas, ad quas formare conveniat nomenclaturam salium, cum præsentis scientiæ statu congruam.

Nomina salium generica derivari possunt a nominibus aut acidorum aut basium, prout secundum illa vel has, in adoptato systemate ordinati fuerint sales. Itaque, cum aptissima nobis visa sit salium secundum bases dispositio, censemus denominationes generum convenienter fieri debere ex basium vocabulis ad constantem legem flexis. Clausulæ *as, atis & is, itis*, quas generibus ab acida parte derivatis dicaverunt Gallici, facile quoque ad basium vocabula applicantur. Et quemadmodum illi, nominibus in *as* significaverunt sales ex acido perfecto natos, sic similia in nostro systemate adhibere licebit, ubi eo respectu perfecta sit basis, quod acida plene saturare queat, ut alcalia & terræ sic dictæ alcalinæ. Pari ex causa vocabulis in *is* designamus sales, in quibus ob debilitatem, seu minus perfectam basis naturam, vix unquam locum obtineat mutua partium saturatio,

*Parte 5. 73*